

In quo non est benignitatis signum, non potest esse divinitatis nota.

agnoscerent scitiam, & inanem esse illius divinitatem, hoc factum est, quia in quo nullum erat vestigium beneficentiae ac benignitatis, nulla etiam poterat esse divinitatis nota, de hoc multa vide cap. 2. num. 98. & 99. & c. 5. n. 294. 295. & 296. c. 17. n. 93. & multis aliis locis.

QUESTIO XIV.

Utrum Demones cognoverint Christum esse Messiam, & filium Dei?

94. Prima sententia.

Ambros. Gloss. Ord. Gregor. Nazianz. Euthym. Beda. Suavius. Toler. Barradas.

95. Fundamenta contraria.

96. Secunda, & probabilior sententia. D. Thom. Carthus. Bonavent. Janfen. Cajetan. Isidor. Molin. Bagez. Corneli.

97. Primum fundamentum.

98. Secundum.

Odiu obsecr.

QUESTIO haec satis vulgaris, & communis eam late tractant recentiores. Ideo breviter illam praestringam. Prima sententia in hac materia est, quod licet Diabolus a principio non cognoverit Christum esse filium Dei, ac Messiam promissum in lege, tamen postea ex multis miraculis, ac signis hanc veritatem cognovit. Pro hac sententia citantur multi Patres, D. Ambr. 1. Cor. 2. 2. ibi Glossa Ordinaria, D. Greg. 3. 3. Moral. c. 7. alias 1. D. Gregorius Nazianz. orat. 2. in Paschate, Euthymius, Beda cap. 1. Marc. eam defendunt, Suavius tom. 2. ad 3. part. disp. 3. 1. sect. 3. §. D. secundum Toletus in cap. 4. Luc. annotat. 75. Parradas l. 5. c. 9. & alij.

Probatur primò, quia D. Lucas ait hic, quod Christus non senebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum; & ipsi Demones dicebant; Scio quod sis Sanctus Dei. Secundo hoc cognovit Diabolus ex multitudine miraculorum Christi, quae manifestè videbant esse vera miracula & suam & Angelorum, naturalemque vim transcendere. Et à solo Deo fieri posse. Tertio ex Scripturis, ac Prophetis hoc agnoverunt, cum omnia quae de Messia dicta erant, in Christo adimpleta videbantur.

Secunda sententia affirmat quod Demones videntes miracula Christi, versabantur in dubitatione, haesitatione, ac suspitione, an ipse esset verus Messias, & filius Dei: Hanc sententiam tradit D. Thomas 3. part. quaest. 44. art. 1. ad 2. Cathusian, in cap. 1. Marc. D. Bonavent. in cap. 4. Luca. Janfenius ibid. & 1. Corin. 2. Cajetan cap. Luca. ibid. Vatablus, Isidorus Clarus orat. 21. in Luca. Molina 1. part. quaest. 57. art. 5. disp. 1. Bagez eadem quaest. 57. art. 3. dub. 2. Cornelius à Lapide in cap. 3. Marc. vers. 11.

Probatur primò, quia multa miracula, magna miracula, ac totam Scripturam adimpletam viderunt Demones in Christi nativitate, adventu Magorum, praesentatione in templo, fuga in Aegyptum, ad cuius ingressum corruerunt omnia idola, juxta vaticinium Isaiae, ut dixi l. 2. c. 7. q. 13. n. 5. 3. Et tandem vocem Patris in Baptismo audierunt: Hic est filius meus dilectus; & tamen postea haesitantes, ac dubitantes eum tentarunt in deserto; ergo ante Christi mortem in hoc dubio Diaboli versabantur.

Secundo, superbus, ac ferox Daemon, non poterat intelligere, nec concipere tantam humilitatem, modestiam, ac mansuetudinem in naturali, & substantiali filio Dei, praecipue, quia ipse ignorabat altitudinem fructuum, & finem tanti mysterij. Tertio Diabolus crudele odium habebat erga Christum Dominum. Nam videbat eum virum sanctissimum, ac multas animas è manibus

ejus eripere, ergo obsecratus odio excellentias, Christi Domini ac claras Scripturas de eo non percipiebat. Tertio, Integritas corpori naturaliter cognoscitur ab Angelo. Et tamen, ut docent Patres, ut dixi l. 1. c. 5. p. 18. n. 34. Diabolus impeditus fuit divina ordinatione, ne agnosceret Christum ex Virgine natum; ita etiam Dei dispositione antequam crucis mysterium consummaretur ne agnosceret Christum esse filium Dei, ac Messiam, ne contra nostram salutem multa machinaretur, ut ita suaviori modo adimpleretur divina dispensatio, & ideo usque ad crucis mysterium Diabolus in ea dubitatione haesitavit. Patres pro contraria sententia citata explicandi sunt de cognitione conjecturali.

Quod autem D. Lucas ait, non senebat Dominus Demonia loqui, quia sciebant ipsum esse Christum; facile explicatur cum Janfenio, Cajetano, Isidoro Claro citato, Vatablo, non senebat loqui hoc, scilicet, quod sciebant ipsum esse Messiam, ac proinde non permittetur dicere verba ista, nos scimus quod sis filius Dei, quod sis Christus. Ludolph. Hugo. Beaulxam. Stella.



CAP. XXIII.

De dimittendis terrenis instrumetur Scriba, & duo alij.

Matth. 8. n. 18. Videns autem Iesusturbas multas circum se, iussit ire trans fretum.

VERSIONES.

Syriacus. Cum vidisset turbas multas, quae circuibant se, iussit eas abire in ulteriorem ripam.

Vatablus. Iussit, ut discederent in ulteriorem ripam D. Chryso. 28. Videns turbas circa se ipsum, iussit, ut abirent.

EXPOSITIO.

CIRCVIENS Iesus Galilaeam, & curans omnes infirmos, cum vespere esset factum, & valde diluculo surgens Dominus abiit in desertum ad orandum, ut notant D. Marc. capite 4. numero 35. & Lucas capite 8. Abulens. numero 22. Cum autem turbae ibi Dominum Jaanen, requirerent: jubet abire trans fretum. Et ita hic in ordine haec historia sequitur, ut notant Divus Augustinus lib. 2. de consensu Evang. c. 22. Abulensis Matth. 8. Janfenius, Beauxames, Corneli. Adrichomius, Barradas, Franciscus Lucas, Cornelius, & alij. Videns

2. Videns autem Iesus, scilicet postero die post multitudinem sanata, turbas multas, hoc est, multitudinem populi, quae à turbando dicitur, circum se, id est, undique circumstantes tanquam irruentes in Dominum, & veluti ipsum intra se tenentes, Notat Albertus Magnus, quod turbae non approximant, sed sunt in circuitu dolose ambulantes; multi tamen è turba circumstantibus animo sincero, & grato ob beneficia accepta, & ut ipsum Dominum audirent. Iussit ire, scilicet, ut Discipuli cum illo simul irent. Non mandavit Dominus eis, ut nauarum vicem ipsi subirent: nam quamvis ibi essent Petrus, & Andreas; tamen naves erant alienae. Mandavit ergo eis Dominus, ut procurant trajectum. Trans fretum, id est, ulteriorem ripam, seu oppositam ripam quae erat, ut patet ex Luc. 8. num. 26. regio Gerafenorum.

Nemo se in alienis rebus intromittat.

QUESTIO I.

Quare Dominus voluerit transfretare in ulteriorem regionem?

3. IN limine hujus quaestiones notandum est ex D. Chryostomo hom. 28. Tu verò considera, ait, quod non dicitur repulisse turbas, ne contentis viderentur: nec iussisse, ut omnino recederent sed ut abirent in interiora; ut spe allesti; quod illo transiurus esset facilius obtemperarent. Bonus affectus turbarum, quae Dominum sequebantur, non fuit omnino alpernandus, sed potius aliquali modo honorandus, & ideo Dominus non jubet, ut recedant; sed eos allicit, ut prompti obediunt dum demonstrat locum, ad quem tendit. Ad quaestionem veniamus.

Bonus affectus honorandus.

4. Chryost.

In vestris operibus ostentatio fugienda.

Abulens.

Animus invidus declinandus. Potius attendendum saluti animarum quam corporum.

5. Remig.

Respondet primò D. Chryostomus citata hom. 28. Hoc faciebat Dominus, partim nos docens; hanc illamque; partim ne Iudaei pessifera veneno invidia labescerent; nonens nihil profusus ad ostensionem à nobis esse faciendum: etenim non corporum incolumitas cura sibi tantummodo erat, sed multo magis animarum saluti providebat. Sapienter S. Pater tres rationes nobis hic inculcat. Primò docet, nos nil facere ad ostentationem, sed potius in operationibus nostris, ipsam evitare debere. Et ideo dicitur: Videns turbas, iussit ire transfretum, ut hominum applausum fugeret. Secundò. Partim ne Iudaei pessifera veneno invidia labescerent. Nam, ut etiam ait Abulens 9. 55. licet turbae bono animo Christum sequerentur; erant tamen aliqui malivoli, qui de mirabilibus Christi tristabantur; & illos Christus voluit devitare cedens invidia eorum ad tempus. Animus invidiae plenus maximè fugiendus, atque cavendus Tertio. Non corporum incolumitas cura sibi tantummodo erat. Multos curabat Dominus; & tamen imperat transfretare, quia cum visis operibus Christi multi tristarentur, torquerenturque invidia; eorum perverso animo Dominus cedens, in ulteriorem partem parabat abire, potius enim volebat animarum salutem, quam corporum infirmitatibus providere.

Quarto, D. Remigius postquam apponit rationes Chryostomi, sic ait: Hoc fecit quasi homo volens turbarum importunitatem declinare. Erant autem ei affixi: admirantes eum, & videre ipsum volentes. Quis enim discederet à talia miracula operante

Quis non in faciem ejus simplicem vellet videre; & os talia loquens? Si enim Moyses gloriosam faciem habebat, & Stephanus sicut Angeli, intellige communem dominatorem, qualem decens est tunc apparuisse. Unde ait Propheta: Speciosus forma praefiliis hominum. Turbae videntes signa, ac suavitatem vultus, conversationis, ac sermonis Christi maxime ipsum comprimebant; ideo ut eorum tumultum declinaret, jubet Discipulis transfretare.

Christus, in vultu, ac sermone mirabilis vultus.

Quinto, D. Thomas. Imperat Dominus abire in ulteriorem ripam, ut placeat Discipulis. Unde aliquando cum Discipulis ascendit in montem, aliquando in desertum, aliquando in navim: Vult Dominus suis Discipulis, ac sociis complacere & eorum voluntati condescendere: ideo aliquando divertit in hanc, vel illam partem, modò in desertum, modò in montem, modò in navim. Unde ait Abulensis citatus, quod Dominus fecit hoc forte ad habendum aliquam quietem, vel ut suis permitteret recreationem temporalem, seu aliqualem vacationem à negotiis: quia turbae ita Christum occupabant, quod non erat eis locus ad capiendum cibum. Marc. 6. num. 31. Ait Christus suis, Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum: erant enim, qui veniebant, & rediebant multi, nec spatium manducandi habebant. Nec enim semper est instandum in opere.

D. Thom. Princeps salu condescendat.

Abulens.

Marc. 6.

Sextò. Abulensis citata quaest. 55. ait, quod Dominus voluit, recedere ad orandum in desertis locis, ut dicitur Marc. 1. num. 35. quod Dominus diluculo surgens, abiit in desertum locum; ibique orabat. Per quod Praedicatoribus Dominus instruit, ad orationem saepe recurrere, ut quod non possunt legendò; & studendo; orando accipiant & intelligant.

7. Abulens. Marc. 1.

Septimò. Omnes rationes appositae optimae sunt: tamen ea mihi placet. Quia, cum Dominus jam praedicasset in Galilaea, & ibi multa miracula esset operatus, voluit in aliam regionem transire, ut in omnes suam caelestem rorem diffunderet. Ergo, cum Dominus videret multas turbas circum se ipsam, veluti affectantes, ipsum summum bonum inter se continere dilposuit in aliam regionem divertere; non enim est passus, commune bonum inter paucos concludi, sed in omnes exuberare, & hoc etiam modo voluit adimplere munus à Patre destinatum. Et ita in hoc evento post sanatae foecum Petri scribit D. Lucas cap. 4. num. 43. Turbae requirebant eum, & venerunt usque ad isum; & detinebant illum; ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et Marc. 1. numero 37. dum Discipuli dicunt Domino, Omnes te quaerunt, ait illis: Eamus in proximos vicus, & civitates, ut ibi praedicem, ad hoc enim veni. Vide supra de hac re cap. 5. num. 169. & cap. 15. num. 55. & 64. & cap. 20. num. 36.

8.

Communum bonum non est inter paucos detinendum.

Luc. 4.

Marc. 1.

Matth. 4. n. 19. Et accedens unius Scribae, ait illi: Magister: sequar te quocumque jeris.



VERSIONES.

Syriacus. Præceptor mi, ibo post te, quocunque ieris.
Vatablus. Sequar te, quocunque abieris.
Theophylact. Cum adesset unus Scriba.

ALTER TEXTUS.

Lucæ 9. n. 57. Factum est autem ambulans illis in via, dixit quidam illum, Sequar te quocunque ieris.

EXPOSITIO.

VIDENS hic legisperitus, quod Dominus iam parabat transitum in aliam regionem, & perpensens, quod magna miracula in Galilea operatus esset, & quam admirabili sapientia cunctos erudiret, existimans quod magna ab his, quos sanabat, dona reciperet, ut similibus etiam bonis abundaret, magnoque populi frueretur applausu, Domino in via ambulanti & iam veluti ad naviculam properanti, socium se offert, ut latius explicabo quæst. sequem.

10. Paschas.

Ambitiosus in bonis socius esse cupit.

Rupert. Hilar.

D. Thom. Rupert.

Joan. 13.

13. Paschas.

Rupert.

Accedens unus. Accedit, ut ait D. Paschasius, labiis, non fide, accedit ore non animo. Et cum existens in patria sua, multos secum adducere possit, solus tamen venit, ut sic magis dissimulationem fingeret, tanquam si videretur sequens ab aliis, ut ita magis deciperet. Vel quia forte ita erat ambitiosus ut temporale illud emolumentum, quod ipse sibi sperabat ex Christi concommitatu, ne cum sociis quidem suis, consanguineis etiam, & amicis divideret, sed sibi soli præoccupare intenderet. Scriba, id est, Legisperitus, conditione elatus, & superbus, ut ait Rupertus. Magister per interrogationem legit D. Hilarius. Unde illius nequitia apparet, quia quod certum erat, interrogat, & ponit sub dubio. Iniquorum ingenium; quod enim manifestum est, cum negare non audeant, tamen ne fateantur, per interrogationem proferunt. Et solum vocat eum magistrum ut notat D. Thomas, Rupertus, & alij: nam hæc vox Phariseorum erat, qui maxime amabant vocari ab hominibus Rabbi, Mat. 23. num. 7. & 26. At veri Discipuli vocabant eum Magistrum, & dominum, Joan. 13. num. 13. Vos vocatis me, Magister, & Domine. Unde ait Rupertus. Bonum, & suave est utrumque dicere. At solum vocare Magister, seu Rabbi, & non Domine, cordis est longinqui, id est, longe remoti à familiaritate dilectionis. Sequar te, quocunque ieris, Apertè manifestat, ait D. Paschasius, quod nesciebat, quantus, & qualis esset iste Dominus: sed Scriba, ut ignorans non perpendit suam mensuram, & Christi celsitudinem, & quid, & quantum inter te & illum esset, Rupertus ait, quod cum iste esset Scriba, erat valde superbus, ac præsumptuosus, & ideo tantum de se promittere audebat: sequar te, quocunque ieris, ut latius explicabo quæst. 13.

QUESTIO II.

Qua intentione, quove animo iste scriba accesserit ad Dominum?

OMNIS accessum habemus, illius intentio indaganda est. Primo Titelmanus in Paraphrasi Mat. c. 18. & Barradas in 100. 2. 1. 5. cap. 1. 1. §. Hactenus de vulgata. Existimant, hunc Legisperitum sincero animo ad Christum accessisse, seque in discipulum obtulisse. Christi autem responsum eodè dicunt spectare, non ut dolosum, & lucri cupidum repellat, sed ut discipulatus difficultatem, homini sequi desiderati, proponant: sicut ingredientibus cænobium, illorum labores, ac difficultates explicantur. Verùm hæc explicatio non coheret cum communi sententia Patrum, ut statim referam; nec cum responso Christi: nam quare Dominus huic Scribæ, & non aliis, qui ipsum secuti sunt, & ad se vocavit, ut duo discipuli Baptistæ, & Petrus, Philippus, Nathanaël, & alij, Joan. 1. a. n. 27. explicavit tantam suam paupertatem, ac humilitatem, nisi quia iste Scriba depravatam habebat intentionem, Dominumque ob temporales commoditates sequebatur, ut intelligunt sancti Patres. i. andi.

Secundò, Divus Augustinus lib. quæstionum in Mat. h. 9. 4. & serm. 6. de verbis Domini in monte, & lib. de sancta Virg. cap. 5. 1. D. Chrysostomus homil. 28. in Mat. Tertullianus lib. 4. in Marcionem. cap. 23. D. Gregorius lib. 19. cap. 9. Luc. 8. 1. Rupertus hoc loco, & Beda, in cap. 9. Luc. 8. H. Beda. jus accessus eam reddunt rationem, quod iste videns Christi miracula, eum sequi voluerit ob inanem jactantiam captandam: ac proinde quod iste venit superbia plenus, ut populi applausu maxime extolleretur. Hanc autem hominis superbiam excludit Dominus explicans suam humilitatem. Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.

Tertiò, D. Thomas, Cardinalis Hugo, Magister historiae Ecclesiasticæ docent, quod iste volebat Christum sequi, ut virtutem faciendi miracula disceret, & hujusmodi signis multum sibi lucri faceret. Et hæc sententia coincidit cum sequenti, & communi.

Quarta explicatio, quam tradunt D. Hieronymus in cap. 8. Mat. h. & etiam D. Chrysostomus citatus. D. Basilus Seleucus orat. 28. D. Paschasius hoc loco, Euthymius, Beda Theophylactus, Glossa Paschas. Interlinealis, Lyranus, Cajetanus, Carthusianus, Abulensis, & etiam desumitur ex D. Augustino serm. 7. de verbis Dom. Qui omnes docent, quod iste lucri causâ sequi Dominum voluerit. Ait D. Hieronymus. Ostenditur nobis, & ob hoc Scribam repudiatum, quod signorum videns magnitudinem sequi voluerit Salvatorem ut lucri ex operum miraculis quæreret, hoc ipsum desiderans, quod & Simon Magnus a Petro emere voluerat. Act. 8. num. 18.

Hæc omnes tres sententiæ ultimæ optimæ sunt, & connexionem habent inter se, & ideo multi Patres in una, & altera sunt. Et conveniunt omnes isti Patres, ut etiam docet D. Ambrosius lib. 3. Ambros. officior. cap. 1. 1. & serm. 79. D. Isidorus Pelusota lib. 1. Epistol. 17. Quod iste Scriba accesserit mentis

mentis versuta, dolo ac fraude; licet Ambrosius, & Pelusota non expriment, qualis fuerit hujusmodi dolo, nec etiam in littera textus declaretur, qualis fuerit ejus intentio: tamen ex Christi Domini responso, ut infra dicam, optimè colligit sancti Patres. Nam, ut ait Cajetanus, cum Christi responso non congruat oblationi Scribæ: Sequar te, quocunque ieris, intelligimus, quod congruat animo ejus, qui proculdubio maxime rebus temporalibus detinebatur, ipse enim credebatur, quod Dominus ex tanta sua potestate, ac operibus, & miraculis multis divitiis, ac amplas possessiones, & domos esset acquiratur, quorum omnium Domini Discipulos, ac individuos comites participes esse futuros, Scribas præsumebat; & ideo in eorum numero volebat ascribi. Vel etiam, quia sperabat, quod in tali miraculorum scientia edoceret à Domino, ac proinde honorum, applausuum, ac inanis hominum gloriæ valde cupidus. Hæc omnia Scriba verfabat in animo, & Dominus rejicit, suam obijciens paupertatem, humilitatem, rerumque omnium contemptum: dum ait: Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.

Cajetan.

Explicatur Scriba intentio.

17.

Chrysost. Confirmatur superior sententia.

Euthym. Abulens.

Ex quo secundò colligitur ejus depravata intentio. Quia dum hæc audit à Domino, nihil respondit, nec se dicit esse paratum, ut notat D. Chrysostomus citata homil. 28. ut fecerunt filij Zebedæi, dum à Domino interrogantur: Potestis bibere calicem? dicunt; Possumus, Mat. 20. num. 22. At Scriba nihil respondit, quia vidit se spe sua frustratum, cum nihil quæreret, nisi propriis commoditates, ut advertunt Euthymius. Abulensis quæst. 58.

QUESTIO III.

Quam superbus accesserit iste scriba?

18.

Cajetan.

CIRCA superbiam istius Scribæ, jam aliqua notavi in expositione, quod altius hic est examinandum, & scribæ elatio ex ejus verbis colligenda. Dixit enim ad Dominum: Sequar te, quocunque ieris. Ponderat Cajetanus, quod non se offert discipulum, sed socium itineris; cum enim esset Scriba, & peritus in lege, dedignabatur subire discipuli nomen. Tamen communiter Patres, ac Doctores, asserunt, quod iste affectabat, inter Christi discipulos numerari, non ob Christi amorem, sed ob proprium commodum.

19.

Chrysost. Arrogans Scriba in sanctorum perfectionem suam profectum volebat.

Paschas.

Apo. 14.

Quam superbus, & arrogans iste fuerit bene deducit ex ejus verbis, Sequar te, quocunque ieris, D. Chrysostomus serm. 19. Dixisset cæcilius, inquit, Sequar te, quocunque ieris, humanitus certe, quocunque volueris. Sed cum iste esset ex ordine Scribarum valde superbus, non modestiam, sed elationem profect in verbis; nec considerat, quantum discrimen esset inter se, & Christum; inter se, & justos: sed ut maxime arrogans statim voluit, ut notat Divus Paschasius lib. 5. in Mat. h. proflire in perfectorum, ac Sanctorum vias, de quibus post hanc vitam; ut ait ipse Paschasius, dicitur: Sequantur Agnum, quocunque ierit, & protinus additur cautela: Virgines enim sunt, & empi de terra, primitia Deo, & Agno, Apocal. 14. num. 4. Superbus autem Scriba

jam per Sanctorum viam affectabat incidere; & ideo à Domino non admittitur, sed rejicitur, ut latius dicam quæst. 5.

Præteriens Jesus, cum videret Zachæum in arbore commorantem, ait ei: Zachæe, festina; descende, Luc. 19. num. 5. Arbor illa Crucis typum repræsentabat. Si ergo Dominus invitavit ad Crucem: Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me, Mat. 16. num. 24. Mat. 16: Cur igitur, cum Zachæus in Cruce sit, ei mandatur, ut festinus descendat de cruce? Excelsa Crucis perfectio est, & cum Zachæus multis ad huc imperfectionibus, atque inquinamentis esset irretitus, ab arbore jubetur descendere, tanquam illi pro tunc immaturus, & improprietatus. D. Chrysologus homil. 54. postquam adducit citatum locum Mat. h. sic ait, Descende, ut deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, & pedibus intres pauperis scholam, discipulatum misericordie, pietatis usum, studia virtutum, tolerantiam passionum, philosophiam mortis, atque inter vitæ ligni ardua imperfectus ascendas. Expende ultima verba.

Dum Dominus de sua morte disserit, offert se Petrus, & ait: Dominus, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit? Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges, nolle me, Luc. 22. num. 34. Valde mirum, quod Petro illam affectuosam voluntatem exhibenti Dominus non gratuletur, sed suam potius negationem obijciat. Gloriam crucis ascendere, perfectorum est; Petrus pro tunc non erat expolitus gratia divini Spiritus, ideo adhuc immaturus ad ardua Crucis ascendendum, atque ad Dominum per viam mortis sequendum, ac adeo ejus studium tanquam intemptivum, seu præsumptionis affectus, ut dicunt D. Augustinus tractat. 26. in Joan. Chrysostomus homil. 83. in Mat. h. de quo suo loco erit sermo, reprimensus fuit D. Bonaventura, Hoc verbum, ait, fuit amoris & fervoris, sed tamen hoc erat ejusdem præsumptionis, quia illud promittit, ad quod non sufficit, scilicet quod paratus sit pro Christo, & cum Christo mori, cum sit opus perfectissima charitatis. Post pauca subdit: Ideo hæc præsumptio compescenda erat, & propterea subditur: Dico tibi, Petre, &c. Licet enim affectus Petri fuerit amoris, cum tamen illud esset opus perfectissime charitatis, prius in omni virtutum decore debebat perfici, quam mortem pro Christo, ac celsitudinem Crucis vellet subire, ad quam, non humanis viribus, sed gratia Christi præparatur homo.

Mat. 8. n. 20. Et dicit ei Iesus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.

VERSIONES.

Syriacus. Græcus.

Paschas.

Vulpes habent lustra. Vulpes habent cavernas, & volucres cæli umbracula ex ramis contexta.

D. Cyr.